



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

De Benedictione Matrimonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

nemo dicitur, nemo magis militaris quam meus sponsus, illa ut Abigail defendit maritum, etsi fuerit Nabal, id est, stultus, *Equitatus meo assimilavi.* Id est, Angelis qui involantes in currus Pharaonis eos demerferunt. Angeli amantes populum D E I.

Si ita fueritis imitati Angelos, erit *Angelus pacis vobiscum.* Eritis sicut *duae Olive in domo DEI & Filii vestri sicut novella olivarum.* Eritis sicut *duo candelabra lucentia.* Erit Apoc. 1. *Gratia vobis & pax à septem spiritibus qui in conspectu DEI sunt.* Quod dum vobis apprecor, verbis illis Tob. 5. utor. *Bene ambuletis, & Dominus sit in itinere vestro, & Angelus ejus comitetur vobiscum.*

### De Eadem Benedictione.

**Q**ualis est differentia inter abluionem corporis cum balneator affundit aquam, & inter abluionem baptismalem: talis inter Matrimonium Ethnicorum & Christianorum. Lotio balnei abluit corpus sed non tangit animam: lotio baptismi abluit animam. Matrimonium Ethnici est contractus, qualem facimus quando cum convenimus, da mihi pannum v. g. ego tibo dabo pecuniam: fac istud pro me, ego pro te vicissim faciam. At inter Christianos sicut baptismus est Sacramentum ita Matrimonium. Baptismus est signum visibile invisibilis gratiae, est & Matrimonium; ille confert gratiam ex Christi meritis, confert & istud; gratia verò DEI est talis, ut in quo reperitur, DEUS illi det eorum. Præterea attrahit auxilia quædam dum per Sacramentum accipitur, ut ope illorum homo plurimum juvetur ad vitanda peccata, virtutum profectum. Propterea debet ad Matrimonium quisque sanctè accedere, eo fiet ut numerus servorum

rum DEI augeatur: accedant sanè Ethnici *sicut mulus & equus quibus non est intellectus*, quia illorum Matrimorum tam sanctum est atque mulum vel equum emere. At non licet ad nostrum in peccato accedere, & si hoc fiat, novum committitur peccatum, & auxilia quæ aliàs conferret non confert. Et quia ipsi sponsi & conficiunt hoc (non Sacerdos qui solum testis est & benedicit) & suscipiunt Sacramentum, ex utroque capite obligantur ut sanctè ad illud accedant.

Quoniam verò quoduis Sacramentum occultat in se ali- quod DEI mysterium, sic, in speciebus Eucharisticis latet corpus & sanguis Christi. In Baptismo regeneratio in Filios DEI &c. In Matrimonio, Christi cum Ecclesia matrimonium. Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Magnum est, quia aliorum Sacramentorum materia est aqua, vinum, panis, oleum; hujus verò ipsi vivi homines. Magnum, quia alia conficit homo unus, hic duo. Magnum quia alia possunt fieri in occulto & secretè, istud non nisi publicè & cum assistentia non cujuscunque sed proprii Parochi. In baptismo latet regeneratio in Filios DEI, in isto ipsum matrimonium Christi cum Ecclesia, per quod fit regeneratio. Hæ dignitates sunt Matrimonii, etsi ab aliis Sacramentis quoad aliqua etiam superetur, sistamus interim in hac, quòd Matrimonium Christi cum Ecclesia significet, hinc enim sumunt conjuges vivendi in conjugio exempla. Ab initio statim mundi hoc Christi matrimonium describatur, apparabatur. Sumpta prima uxor de latere viri prænuñciabat nascituram Ecclesiam de latere transfossi Christi. Salomon Epithalamium scribebat. David cytharam parabat. *Audi filia & vide* &c. Parochum in hoc Matrimonio agit S. Paulus. *Respondi vos uni viro*, idem ergo Paulus docet. *Christus est caput Ecclesie, vir mulieris.*

Est

Est caput, non manus, quia manu percutimus: non pedes, quia hæc pars ignobilior, non oculus, quia nihil aliud faceret nisi uxorem observaret. Est caput, habet omnes sensus, caput, sed non in sui unius commodum verum totius corporis. Maritus videat, audiat, non solum quod sibi soli utile sed quod etiam uxori, illa verò obediat, nam si corpus velle imperare capiti quis esset ordo? Talis certè, ac si velle Ecclesia regere Christum.

Rursus idem Paulus *Viri diligite uxores vestras sicut Christus Ecclesiam*. Nunquid pauci sunt in Ecclesia mali, num ideo malam appellat Christus Ecclesiam? Imò *Maculam non habentem neque ragam, neque aliquid huiusmodi*. Quia non respicit maculas, *Nescio ves*, & illos convertit in sanctos, quæ corona Ecclesiæ? *Veni coronaberis de capite Amanæ, de vertice sancto & Hermon, de cubilibus leonum &c.* Sunt montes anathemata, speluncæ færentes. Sed videte dum hanc coronam imponit sponsæ. *In capite ejus corona duodecem stellarum* distimulet maritus quædam, & alia corrigat in charitate, & meminere quòd *charitas operit multitudinem peccatorum*. Apud Judæos concessum fuerat dare libellam repudii, Sanctius apud nos est Matrimonium, Christus regit Ecclesiam sed in omni amore, errare non permittit sed non pedibus proterit. Exprobravitne unquam Ecclesiæ inæqualitatem generis? Imò *tradidit semetipsum pro ea*. Fuerit uxor mancipium antea, si est uxor jam est amore & honore digna. Mancipium fuit Esther sed postquam nupsit Assvero, jam summus Princeps Aman nihil est præ illa. Conjugium à jugo dicitur, quia apud Romanos in desponsatione jugum imponebatur, jam conjuges in eodem sunt jugo. Dives maritus jam & uxor dives, ita Christus sponsæ. *Multi Filie congregaverunt divitias tuas supergressa es universas*. Volat in gloria maritus ut nubat, conu-

bium

bium à nubibus dicitur, jam & uxor volat. Thesaurus uxoris vir, viri uxor, ad hoc annulos sumitis quibus vos obfignetis, annulus datus est filio prodigo & statim ex indigno factus est dignus. Hic Amor non debet habere finem sicut neque annulus habet: Jam uxor est viri corpus, jam dolori si accidet, idem sensus: jam pars una iuvat alteram: accipiat vulnus pars una cum quanta lenitate applicat emplastrum alia? In Christo unum est & Divinitas & Anima. *Et erunt duo in carne una*, duæ animæ, etsi una caro, tamen summa in Christo consensio Divinitatis cum anima, licet utraque suam liberam habeat voluntatem summa tamen est concordia, neque natura dignior impropereat viliori, neque vilior in formidine cohabitabit.

Supereft ut vobis dem Benedictionem, do illam ipsam quam dat Ecclesia &c.

### Tempore Nundinarum.

**D**UM homines suas nundinas exercent, etiam Dæmones, & DEUS suas, sed dæmon adhibet merces quæ patent sensibus nostris, id est voluptates visus, auditus &c. DEUS illas quæ intellectu solum conspici possunt, cælum, gratiam, virtutem. Uterque non aliam requirit pro mercibus suis pecuniam quam nostram animam.

Dum voluptates sensuum prohibitas à dæmone emimus, animam nostram illi in servitutem tradimus, nec enim illam si emerit, tractare aliter novit quam mancipium, ut si Barbari capiant filiam Principis, illa vult speculum, jubetur accipere scopas ut verrat stabulum: vult in lecto quiescere, jubetur in nuda humo: vult cibos exquisitos, jubetur scapulas nudare ad plagas &c. Aug. prop. 42. in epist. ad Romanos